

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. V - N. 1

1973

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1973

EX ACTIS PAULI PP. VI

Constitutio Apostolica

De Sacramento Unctionis Infirmorum 3

Allocutiones

I. *Institutorum Saecularium moderatoribus, qui Romae internationali
Coetui interfuerunt* 7

II. *Ad Praelatos Auditores et Officiales Tribunalis S. R. Rotae, novo litibus
iudicandis ineunte anno coram admissos* 12

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

S. Congr. pro Doctrina Fidei

Declaratio quoad interpretationem quarundam dispositionum, quae Normis,
die XIII Ianuarii 1971 editis, statutae sunt 21

S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus

Decretum: Facultates Religiosis Orientalibus conceduntur 24

S. Congr. de Disciplina Sacramentorum

Instructio de Communionem Sacramentali quibusdam in adiunctis faciliore
reddenda 29

S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus

Decretum circa regiminis ordinarii rationem et religiosi saecularizati
accessum ad officia et beneficia ecclesiastica 36

Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis

Responsa ad proposita dubia 38

ACTA COMMISSIONIS

I. Coetuum studiorum labores 40

II. Opera Consultorum in apparandis canonum schematibus 42

De Cultu Divino 42

De Institutis perfectionis 47

De matrimonio 70

De Iure Patrimoniali Ecclesiae 94

DOCUMENTA

Indagine psicologica e cause matrimoniali (Card. P. Felici) 104

NOTITIAE 115

II

OPERA CONSULTORUM
IN APPARANDIS CANONUM SCHEMATIBUS

De Cultu Divino

Consultorum Coetus qui iam alias convenerat ad normas de Locis et Temporibus sacris recognoscendas¹ denuo coadunatus fuit diebus 12-16 Februarii 1973 ad recognoscendos canones « De Cultu Divino » (1255-1321).

Exclusus tamen fuit a nostro studio Titulus XV « De custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae », quia canones 1265-1275, propter connexionem materiae, iam considerati fuerant a peculiari Coetu « De Sacramentis ».

Placuit in primis canones de Sanctuariis iterum considerare, qui iam in praecedenti sessione probati fuerant.² Modus dicendi perpolitus fuit, novusque canon additus circa *statuta*, quibus sanctuaria regi debent. Ad condenda *statuta* sanctuarii dioecesani competens est Ordinarius loci; ad *statuta* sanctuarii nationalis Conferentia Episcopalis; ad *statuta* sanctuarii internationalis, sola S. Sedes. In his *statutis* determinentur oportet finis proprius sanctuarii, auctoritas rectoris, subiectum proprietatis et ratio administrationis bonorum, simul cum aptis normis ad vitandam quamlibet commercii vel negotiationis speciem.


Ad procedendum modo organico in examine canonum de Cultu Divino, quibus hodiernus Codex plures normas, diversae satis naturae, collegit, probata fuerunt in primis a Consultoribus criteria quaedam, iuxta quae satis appareat quinam canones retinendi, opportunis factis mutationibus, quinam vero a futuro Codice excludendi.

En tria criteria, communi Consultorum consensu accepta, ex quorum applicatione satis patebit cur quidam canones retenti sunt, alii vero omissi:

1. Illae normae censendae sunt *liturgicae*, iurique liturgico remittendae, quae ad cultum divinum bene ordinandum praecipue diri-

¹ Cfr. *Communicationes*, 4, 1972, 2, pp. 160-168.

² Cfr. *Ibid.*, pp. 165-166.



guntur; tamquam *canonicae* censendae sunt, et in Codice retinendae, eae *solae* normae quae ad bonum ordinem publicum in Ecclesia servandum vel promovendum destinantur;

2. Etiam inter eas normas quae merito canonicae esse iudicantur, illae solae in Codice retinendae sunt, quae modo uniformi pro Ecclesia universa determinari debent, ceteris ad ius particulare vel ad consuetudines locales relegatis;

3. Canones qui doctrinam theologicam declarant, potiusquam normam iuridicam statuunt, non sunt retinendi, nisi quatenus ad normas iuridicas recte intelligendas requiri videantur.

A. DE CULTU DIVINO IN GENERE

Omisso can. 1255, qui potius ad doctrinam theologicam spectare videtur, retentus fuit, cum levibus mutationibus, can. 1256 in quo exponitur distinctio inter cultum publicum et privatum. Canon 1257, accommodandus fuit ratione habita competentiae quae post Concilium attribui debet, intra certos limites, episcopis eorumque coetibus. Explicite insuper additur, ad abusum vitandos ut « nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio Marte in liturgiam addat, demat aut mutet », prout ad litteram dicitur in n. 22 Const. « Sacrosanctum Concilium », quo nova redactio huius canonis fundatur.

Problema *de communicatione in sacris* cum acatholicis attendi debuit, iuxta ecclesiastica documenta conciliaria et post-conciliaria, in recognoscendo canone 1258. Attamen in hac materia, in qua hodierna adiuncta diversis in locis valde diversa sunt, et plura adhuc experimento subiecta, fieri non potest ut normae nimis fixae constituentur in ipso Codice. Insuper quaestiones quae immediate tangunt administrationem et susceptionem sacramentorum, iam in respectivis locis a Coetu de Sacramentis consideratae fuerant. Visum ergo fuit ut, firmis illis praescriptis circa Sacramenta, duo tantum principia heic enuntiantur:

1. Catholici, iusta de causa, adesse possunt cultui liturgico fratrum seiunctorum, vel etiam in ipso aliquam partem habere, servatis tamen his quae ab Ordinario loci vel a Conferentia Episcopali statuta sint.

2. Si fratribus seiunctis desunt loca in quibus caeremonias suas rite et digne celebrent, Ordinarius loci usum aedificii catholici vel caemeterii vel templi concedere potest, iuxta normas a Conferentia Episcopali statutas (vel: collatis consiliis cum aliis membris Conferentiae Episcopalis).

Ultima clausula, quae debitam unitatem intra eandem regionem tueri intendit, sine detrimento potestatis Ordinarii dioecesani, sub duplici forma proposita fuit, ut ulterius de ipsa disceptari possit.

Praescripta cc. 1259 et 1261 § 1, retinentur quatenus necesse est ad abusus vitandos; sed modo mitiore enuntiantur, facta tantum mentione de cura quam locorum Ordinarii habere debent ut orationes et pia exercitia, ea praesertim quae in publico fidelium usu sint, normis Ecclesiae plene congruant.

Quaestio autem de obligatione qua religiosi tenentur servandi normas ab Ordinario loci de hac re statutas, amandatur ad partem Codicis in qua sermo fit de Institutis perfectionis. Ibi enim modo magis organico exponi poterit.

Ea quae in cc. 1562-1564 continentur, non amplius in nostra recognitione referuntur. Sunt enim res nimis particulares, vel minoris momenti in hodiernis adiunctis, vel ad ius stricte liturgicum pertinentes.

B. DE CULTU SANCTORUM, SACRARUM IMAGINUM ET RELIQUIARUM

Attentis criteriis supra expositis, quibus consultores ducti sunt in recognitione peragenda canonum Tituli XVI (1276-1289) et Tituli XVII (1290-1295), facile explicatur cur totus titulus « De sacris processionibus » omissus sit; cum adiunctorum varietas non permittat legislationem communem, ideoque tota materia amandanda videatur Iuri particulari. Similiter bene intelligitur cur canones « De cultu Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum » ad quattuor tantum reducti sint.

Omisso can. 1276, quia potius dogmaticus videtur, proponitur idem principium iam statutum a can. 1277 § 1: « Cultu publico eos tantum Dei servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae in album Sanctorum vel Beatorum relati sint ». Distinctio inter cultum Sanctorum et Beatorum (quae quidem servanda asseritur) Iuri liturgico quoad modum determinanda relinquatur.

Omissa quaestione de Sanctis Patronis (cuius momentum censemus praesertim liturgicum esse), proponitur norma qua praescripta can. 1279 recognoscuntur. Hoc factum fuit transcribendo verba n. 125 Const. « Sacrosanctum Concilium »: « Firma maneat praxis in ecclesiis sacras imagines fidelium venerationi proponendi; attamen moderato numero et congruo ordine exponantur, ne populo christiano admirationem inficiant neve indulgeant devotioni minus rectae ».

Asseritur deinde ius et officium Ordinarii loci curandi ut imagines fidelium venerationi expositae hisce congruant normis; sed nulla mentio

fit de facultate eas benedicendi, cum tota haec quaestio potius ad Liturgiam spectare videatur.

Canones 1280 et 1281 sapientissimas normas continent circa conservationem imaginum et reliquiarum, quae vetustate, arte aut fidelium cultu praestantes sunt. Ideo eius textus immutatus mansit, ommissa tamen enumeratione, nimis forsitan casuistica, circa reliquias quae insignes dici debent (can. 1281 § 1). Attamen dubium mansit utrum hi duo canones proprium huius locum haberent, an potius transferri deberent ad sectionem de Iure patrimoniali Ecclesiae.

Cetera omnia quae in cc. 1283-1289 continentur, circa sacras reliquias, haud includenda videntur in novo Codice. Pertinent enim ad ius liturgicum, cum praesertim agant de earum cultu, vel ad nimis particularia descendunt.

C. DE SACRA SUPPELLECTILI

Iuxta principia methodologica supra exposita et a Consultoribus applicata, fere omnia quae in hoc Titulo XVIII, de sacra suppellectili continentur, extra ambitum novi Codicis manere debent, quia ad Ius liturgicum pertinent; vel ad quaestiones de Iure patrimoniali transire possunt (v. gr. normae de inventariis can. 1296); vel ad iura et officia Cardinalium et Episcoporum. Unde hic titulus non amplius servari debet tamquam per se stans.

D. DE VOTO ET IUREIURANDO

Haud multae fuerunt mutationes quas in Titulo XIX Consultores post habitam disceptationem probaverunt.

Retenti fuerunt canones introductorii (1307 et 1308) ubi conceptus, subiectum, obligatio voti proponuntur, et communes divisiones afferuntur. Mansit tamen insoluta quaestio de votis sollemnibus, quae intime cum parte quae de Religiosis agitur conectitur.

Opportunum visum fuit ut nulla vota *privata* maneant reservata Sedi Apostolicae. Propterea canon 1309 locum amplius non habet.

Propter quaestiones controversas circa obligationem voti tam realis quam mixti relate ad heredes, visum est canonem 1310 ad solam § 1 reducere: « Votum non obligat, *ratione sui*, nisi emittentem ».

Similiter totum problema de irritatione (directa) voti haud paucas difficultates secum fert. Unde prudentius apparuit nullam de ipsa mentionem facere in can. 1311. In canone vero 1312 sermo fit tantum de *suspensione*: « Qui potestatem in voti materiam habet, potest voti obli-

gationem tandiu suspendere, quamdiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat ». Nihil ergo dicitur de irritatione voti facta ab eo « qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet ».

Potestas dispensandi, relate ad omnia vota privata (siquidem ex his nulla erunt reservata), iusta quidem de causa, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum, conceditur ultra terminos can. 1313 non solum Superiori religionis clericalis exemptae, sed *omnibus* Superioribus Instituti Perfectionis *clericalis*.

Propter mutationem supra propositam, cum nulla remaneant vota privata quae reservata sint Sedi Apostolicae, tenor canonis 1314 ita mutatur: « Opus voto *privato* promissum potest in melius vel in aequale bonum ab ipso vovente commutari; in minus vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi ad normam can. 1313 ».

Immutata mansit norma can. 1315 de suspensione votorum quae emissa fuerint ante professionem religiosam, donec vovens in religione permanserit.

Circa iusiurandum, pauca fuerunt mutationes propositae. Immutati manserunt cc. 1316, 1317 et 1318 § 1. In utramque partem disputatum fuit circa can. 1318 § 2: « Si actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici vel salutis aeternae iusiurandum adiiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem ». Tamen Consultores voluerunt ut res profundiori studio subiiceretur.

Quae supra notavimus de irritatione votorum, influxum indirecte exercent in cc. 1319 et 1320 cum agitur de iureiurando. Propterea in can. 1319, 4° loco « irritatione » dicendum est: *suspensione*; et in initio can. 1320 loco verbi « irritare », scribendum videtur: *suspendere*.

Ex hac synthetica expositione satis apparet materiam in hoc Coetu consideratam peculiare difficultates secum ferre, propter connexionem cum iure liturgico et cum aliis sectionibus ipsius Codicis. Ideo plurima quae proponuntur omittenda, corrigenda, addenda, saepe habent formam quandam provisorium, siquidem pendent a dispositione organica novi Codicis (Petrus Abellan, *Relator*).